

CAPUT III

Essentiæ generis, speciei, et individuorum quomodo tam absolute, quam primæ impositionis nominibus conceptæ distinguantur: quomodo item genus, species, differentia, diffinitio differant, exponit: deinde quomodo essentia speciei ipsis individuis comparatur, declarat.

Patet ergo, quod essentia hominis et Socratis non differunt, nisi secundum signatum et non signatum: unde Comm. dicit super VIII Metaph. quod Socrates non aliud est quam animalitas et rationalitas, quæ sunt quidditas ejus: sicut etiam essentia generis et essentia speciei secundum signatum et non signatum differunt, quamvis alius modus designationis sit utrobique, quia designatio individui respectu speciei est per materiam determinatam dimensionibus: designatio autem speciei respectu generis est per differentiam constitutivam, quæ ex forma rei sequitur.

Postquam determinatum est quid sit essentia substantiarum compositarum in communi, in hoc tertio capite intendens agere de differentia essentiarum compositarum inter se, cum essentiæ compositæ sint tres, scilicet generica, specifica, et individualis, quinque facit. Primo loquitur de differentia earum absolute; secundo determinaturus de differentia earum, ut subsunt primis intentionibus, et illarum nominibus, ostendit quomodo essentia generica differat a specifica; tertio genus, species, differentia, diffinitio qualiter inter se differant, declarat; quarto excludit quamdam dubitationem; quinto assignat differentiam inter essentiam specificam et individualem.

Ad evidentiæ dicendorum prænotandum est, quod de essentiis possumus tripliciter loqui: primo, de eis absolute absque habitudine ad primas vel secundas intentiones; secundo, de eis, ut subsunt nominibus primæ intentionis; tertio, ut subsunt nominibus secundæ intentionis. Verbi gratia, de natura humana contingit loqui secundum se, id est, secundum ea que conveniunt sibi ratione sui; contingit loqui de ipsa, ut stat sub hoc nomine, humanitas; et hoc nomine, homo, et similibus; contingit et tertio loqui de ipsa ut stat sub hoc nomine, species. S. Thomas ergo in prima hujus capituli parte loquitur de essentiis rerum primo modo; in toto vero residuo loquitur de eis secundo modo sumptis; in sequenti autem capitulo de eis tertio modo acceptis sermonem facit. Et hoc, si non vis decipi in hoc capitulo diligentissime notato: ponit igitur, assignando differentiam inter essentiam genericam, specificam et individualem secundum se sumptas, hanc conclusionem: essentia prædicta non differunt nisi secundum signatum et non signatum. Hoc sic declaratur: animalis, hominis, et Sortis essentiæ proprie non differunt nisi per hoc, quia in ratione animalis cadit substantia animata sensibilis absque determinatione ejus per rationale: in ratione autem hominis ponitur substantia animata sensibilis rationalis, et sic additur in ea designatio per differentiam: ratio vero Sortis ponit substantiam animatam, sensibilem, rationalem in istis carnibus et istis ossibus: et

sic in ea additur designatio materie, que non ponebatur in ratione hominis: unde absolute loquendo, et secundum suas rationes proprias apparet, has essentias, non nisi secundum signatum et non signatum differre, id est secundum explicitam inclusionem alicujus designationis sive determinationis: et non implicitam inclusionem illius, licet talis designatio non uniformiter sit in natura specifica, et in natura individui: determinatio enim, quam addit natura specifica supra genericam, est formalis essentialiter diversificans genus, utpote a forma in eo, quod forma sumpta: determinatio autem, quam natura individualis supra specificam addit, est materialis, non formaliter, sed materialiter tantum diversitatem in specie faciens, utpote sumpta a materialis conditionibus rei. Ex his habes quod homo et humanitas, animal et animalitas secundum se, id est, naturas significatas, nullo modo differunt; eadem omnino est ratio naturæ significatæ per hominem et humanitatem, ita quod nulla designatione differunt: sed, ut post dicetur, differunt ut subsunt nominibus primæ intentionis. Quia vero distinctio per signatum et non signatum non est distinctio realis, ideo dicit comm. vii, Met. comm. x, quod Sortes substantialiter sumptus nil aliud est quam animalitas et rationalitas, quæ sunt quidditas ejus: sortietas enim, quæ naturam Sortis nominat, eadem realiter est animalitati et rationalitati.

Hæc autem determinatio vel designatio, quæ est in specie respectu generis, non est per aliquid in essentia speciei existens, quod nullo modo in essentia generis sit: imo quicquid est in specie, est etiam in genere, ut non determinatum. Si enim animal non esset totum, quod est homo, sed pars ejus, non prædicaretur de eo, cum nulla pars integralis prædicetur de suo toto.

In hac secunda parte capituli determinatur quomodo essentia generica differt a specifica, secundum quod ambe stant sub nominibus primæ intentionis, puta quomodo differant essentia hominis et essentia animalis sub his nominibus, homo et animal, et intendit quod essentia significata per nomen genericum, puta animal, et essentia significata per nomen specificum, puta homo, non differunt per hoc, quod essentia significata per nomen specificum includat aliquam determinationem, quæ omnino sit extra rem significatam per nomen genericum, sed per hoc quod essentia per speciei nomen importata includit actu designationem specificam, que fit per differentiam ejus constitutivam, sicut homo actu includit rationale, ponitur namque in ejus diffinitione. Essentia vero nomine generico signata confuse et indeterminate importat designationem illam: sicut animal in potentia includit rationale, ut dicit Porphyrius: unde animal et universaliter omnis essentia generico nomine importata ut sic, totum includit quod includit species, licet non eodem modo. Et propterea ad positæ differentie declarationem ponit talem conclusionem: genus dicit totum esse speciei. Quam sic probat: omne prædicatum dicit totum esse ejus, de quo prædicatur: genus prædicatur de ipsa specie; ergo natura generica, puta animal, dicit totum esse speciei. Majorem probat per hoc, quia nulla pars prædicatur de suo toto. Ubi advertendum est quod hic sermo verus est de predicatione in recto et directo, sive essentiali, sive denominativa, et de parte in eo quod pars, et non de parte ut significatur per modum totius:

potest enim pars utrobique modo significari, sicut materia significatur ut pars rei (per ly materia) : significatur autem ut totum (per ly materiale) : his enim modificata conditionibus, propositio illa, scilicet : nulla pars prædicatur de suo toto, nullam patitur instantiam : cum enim dico, Homo est albus, ly albus confundit in se totum quod est in homine, et similiter cum dico, Homo est materialis, ly materialis comprehendit in se implicite totum quod est homo : et sic cum dicitur, Homo est animal, ly animal continet implicite totum quod est homo, modo qui infra declarabitur, et sic probandum est, quod essentia generico nomine importata includit designationem specificam : extra totum enim nihil est.

Hoc autem quomodo contingat videri potest, si inspicatur corpus secundum quod ponitur pars animalis, et secundum quod ponitur genus. Non enim potest dici eo modo esse genus, quo est pars integralis : hoc igitur nomen, quod est corpus, multipliciter accipi potest : corpus enim secundum quod est in prædicamento substantiæ, dicitur ex eo quod habet talem naturam, ut in eo designari possint tres dimensiones : ipsæ autem tres dimensiones designatæ sunt corpus, quod est in genere quantitatis. Contingit autem in rebus ut quod habet unam perfectionem, ad ulteriorem perfectionem pertingat, sicut patet in homine, qui naturam sensitivam habet, et ulterius intellectivam : similiter etiam et super hanc perfectionem, quæ est habere talem formam, et ut in ea possint tres dimensiones designari, potest alia perfectio adjungi, ut vita vel aliquid hujusmodi. Potest ergo hoc nomen corpus, rem quandam designare, quæ habet talem formam, ex qua sequitur in ipsa designabilitas trium dimensionum cum præcissione, ut scilicet ex illa forma nulla ulterius perfectio sequatur, sed si aliquid aliud superadditur, sit præter significationem corporis sic dicti, et hoc modo corpus erit materialis et integralis pars animalis, quia sic anima erit præter id quod significatum est nomine corporis, et superveniens ipsi corpori, ita quod ex ipsis duobus, scilicet ex anima et corpore, sicut ex partibus constituitur animal. Potest etiam hoc nomen corpus hoc modo accipi, ut significet rem quandam, quæ habet talem formam, ex qua possint in ea tres dimensiones designari, quæcumque forma sit illa, sive ex ea possit provenire alia ulterior perfectio, sive non ; et hoc modo corpus erit genus animalis : quia in animali nihil est accipere, quod in corpore implicite non contineatur : non enim anima est alia ab illa forma, per quam in re illa poterant designari tres dimensiones : ideo, quando dicebam, quod corpus est, quod habet talem formam, ex qua possunt designari tres dimensiones, in eo intelligebam quæcumque forma esset illa, sive anima esset, sive lapideitas, sive quæcumque alia forma, et sic forma animalis implicite in corpore, sive in corporis forma continetur, prout corpus est genus ejus.

Quoniam declaratum est, genus comparari ad speciem, non ut ejus

partem, sed ut totum aperire intendit hic, quomodo res per genericum nomen significata possit utroque modo accipi, ut pars scilicet et totum : et primo in corpore tanquam notioris, deinde in animali, dicens quod ex quo non potest eodem modo sumpta res esse pars rei et genus ejusdem (ut ostensum est) scire debes, quod hoc nomen corpus accipitur dupliciter : est enim æquivocum ad corpus quod est res prædicamenti substantiæ, et ad corpus quod est res prædicamenti quantitatis. Corpus ut significat rem prædicamenti substantiæ, importat naturam, ex qua nata est fluere trina dimensio. Corpus vero ut significat rem prædicamenti quantitatis, importat ipsam triam dimensionem.

Iterum, corpus quod significat rem prædicamenti substantiæ, de quo nunc est sermo, accipitur dupliciter. Uno modo, ut significat naturam illam, ex qua nata est fluere trina dimensio, cum præcissione omnis substantialis perfectionis ulterioris. Alio modo, ut significat illammet naturam absque præcissione ulterioris perfectionis substantialis. Causam hujus et similium distinctionum assignat in littera, ex eo quod res habens aliquam perfectionem substantialem, non excludit a se aliquam aliam ulteriorem substantialem perfectionem, sicut homo ex eo quod habet perfectionem sensitivam, non excludit a se perfectionem intellectivam : et similiter corpus ex eo quod habet perfectionem corpoream, non excludit a se perfectionem vitalem, et sic de aliis : cum enim prior perfectio substantialis non excludat secundam et tertiam, et manifestum sit etiam, quod non includit eas in actu : potest prior perfectio concipi et significari, et cum præcissione seu exclusionem aliarum, et cum inclusionem confusa earum. Ex eo namque, quod formaliter non includit alias, potest præcise concipi et significari. Ex eo vero, quod conjunctionem cum aliis non excludit, potest cum aliarum confusa et potentiali inclusionem concipi et significari : unde natura significata per hoc nomen, corpus, quia non formaliter includit perfectionem vitalem, nec sensitivam, nec intellectivam potest cum præcissione omnium horum concipi et significari : et quia non excludit adunationem essentialem sui cum illis : ideo potest absque eorum præcissione concipi et significari, ut confuse et determinate includens omnia illa : colligitur autem ex textu triplex differentia inter hæc : differunt enim primo in hoc, quia corpus primo modo dicit corporeitatem solam, ex qua nata est fluere trina dimensio, et nulla ulterior perfectio : corpus vero secundo modo dicit formam quamcumque, a qua fit corporeitas, ex qua nata est fluere trina dimensio cum quæcumque alia perfectione. Secundo differunt, quia corpus primo modo est pars speciei, eo quod significatum formale est præter et extra significatum ejus, sicut anima rationalis est extra corporeitatem : sunt enim in homine duo, perfectio scilicet corporalis, quam præcise acceptam patet non includere aliquo modo intellectualitatem, et perfectio intellectualis, quæ est altera pars : corpus vero secundo modo est totum respectu speciei, eo quia perfectio sui forma formaliter importata per speciem includitur in significato corporis sic accepti : significat enim quæcumque formam, a qua fit perfectio corporea : et sic anima intellectiva includitur in ly quæcumque. Tertio differunt, quia corpus primo modo non est in recta linea prædicamentali, sicut nec quæcumque pars : corpus vero secundo modo est directe in prædicamento substantiæ, sicut et quodlibet aliud genus.

Et etiam talis est animalis habitudo ad hominem. Si enim ani-

mal nominaret tantum rem talem, quæ habet quamdam perfectionem, ut possit sentire et moveri per principium in ipso existens, cum præcissione alterius perfectionis, tunc quæcunque alia perfectio ulterius superveniret, haberet se ad animal per modum partis, et non sicut implicite contenta in ratione animalis : et animal non esset genus, sed est genus secundum quod significat rem quamdam, ex cuius forma potest provenire sensus et motus, quæcunque sit illa forma, sive sit anima sensibilis tantum, sive sit anima sensibilis et rationalis simul.

Declarat hoc quoque in hoc genere, quod est animal : potest enim animal accipi ut significat formam, ex qua præcise oriuntur sensus et motus, quibus animal a non animali discernitur : ut dicitur I de Anima, text. comm. xix. Potest etiam accipi animal, ut dicit formam quæcunque, ex qua oriuntur sensus et motus non præcise : et sic est genus : primo autem modo est pars speciei, unde homo est compositus ex animali et intellectivo principio tanquam ex suis partibus essentialibus, accipiendo animal primo modo, sic enim extra significatum ejus est intellectiva natura : animal vero secundo modo est totum respectu hominis implicite includens specificas perfectiones : cum enim sic dico, animal, dico habens naturam sensitivam indeterminate, relinquendo per quam formam habeat sensitivam naturam, et sic implicite includuntur omnes formæ specificæ : habetur enim natura sensitiva non nisi per formam hominis, leonis vel bovis, etc. Ex his patet differentia inter essentiali genericam et specificam, ut subsunt nominibus generico et specifico primæ intentionis : quia scilicet differunt sicut includens implicite et includens explicite illamque.

Si igitur genus significat indeterminate id totum, quod est in specie, non enim significat tantum materiam, similiter etiam differentia significat id totum, quod est in specie, et non tantum formam : et etiam definitio significat totum, et etiam species, sed diversimode. Quia genus significat totum, ut quædam denominatio determinans id, quod est materiale in re sine determinatione propriæ formæ : unde genus sumitur a materia : unde patet ex hoc, quod corpus dicitur ex hoc quod habet talem perfectionem, ut possit in eo designari tres dimensiones, quæ quidem perfectio est, ut materialis se habens ad ulteriorem perfectionem. Differentia vero e converso est, sicut quædam determinatio a forma determinata sumpta præter hoc, quod de intellectu primo sit materia determinata : ut patet cum dicitur animal, scilicet illud, quod habet animam, non determinatur quid sit, utrum corpus, vel aliquid aliud : unde dicit Avicenna, quod genus non est in differentia, sicut pars essentialis ejus, sed solum sicut ens extra quidditatem, sive essentiali, sicut etiam subjectum est de intellectu passionum : et ideo genus non prædicatur de differentia per se loquendo, ut dicit Aristoteles in III de Anima, et IV Topicorum, nisi forte sicut subjectum prædicatur de passione. Sed definitio sive species comprehendit utrumque,

scilicet determinatam materiam, quam designat nomen generis, et determinatam formam, quam designat nomen differentię.

In hac tertia parte capituli comparat genus, speciem, differentiam et definitionem inter se quoad convenientiam et differentiam. Convenire aut hæc omnia in hoc quod quodlibet eorum significat totum quod est in specie. Quod ex prædictis immediate sequitur : si enim genus significat totum, quia vero et proprie prædicatur de specie, et confundit in se omnia ad quæ se extendit : pari ratione differentia cum vere et proprie prædicatur de specie, et confundit in se omnia ad quæ se extendit ut prædicabile, totum significabit. Differentiam autem duplicem ponit inter ea. Differunt primo quoad formalia significata eorum, quia formale significatum generis est perfectio materialis : formale autem significatum differentię est perfectio formalis : formale vero significatum speciei est aggregatum ex utraque perfectione, non distinguendo eas : formale autem significatum definitionis est similiter aggregatum ex utraque perfectione, sed dividendo in singulas : verbi gratia, formale significatum animalis est natura sensitiva quæ se habet ut materialis ad perfectionem intellectualem, quæ formaliter importatur per rationale, et consequenter perfectio intellectualis se habet ut formalis. Similiter formale significatum hominis et animalis rationalis est aggregatum ex natura sensitiva et intellectiva : sed animal rationale separatim explicat utrumque : homo vero non.

Pro intellectu horum nota, quod significatum formale nominis ad præsens est perfectio seu forma determinate, et primo explicata per illud nomen. Materiale vero est illud quod sub nominis significatione cadit non primo : unde considerato omni eo quod tam formaliter quam materialiter importatur per genus, speciem, differentiam et definitionem, dicit, quod idem significant, et quod conveniunt : consideratis autem formalibus eorum significatis, dicimus, quod differunt et quod non significant idem. Sed ne vageris, quando differentiam inter significatum formale speciei et definitionis, quoniam nulla est, sed in modo tantum exprimendi idem formale significatum differunt, species enim indistincto actu tamen explicat totum : definitio vero dividit in singula, ut dicit I Phys., text. comm. v. Genericum ergo nomen, puta animal formaliter et determinate explicat materiale hominis perfectionem, scilicet sensitivam : et ideo genus sumitur a materia. VIII Metaph., text. comm. ix. Differentię vero nomen puta rationale, formaliter et determinate explicat formalem rei perfectionem : ideo dicitur ibidem sumi a forma. Et sicut in formali significato generis non cadit perfectio per differentiam importata, quia indeterminate in illo includitur : ita in formali conceptu differentię non cadit genus eadem ratione : quia scilicet perfectio generica indeterminate cadit in nomine differentię. Sicut enim ex eo quod animal significat habens naturam sensitivam, duo significant, naturam sensitivam formaliter, et primo, et quod habet illam indeterminate : non enim explicat an id sit homo vel bos : sic rationale, ex eo quod significat habens rationalitatem, duo significant, scilicet rationalitatem formaliter et primo, et habens illam secundario et indeterminate : non enim determinat quid sit id habens an homo, vel animal, et ideo dicit Avicenna, quod genus non est in differentia, sicut pars essentialis ejus, idest sicut pars sui formalis significati, sed est extra formale significatum ejus, sicut subjectum est extra formale significatum suæ passionis. Album

enim puram qualitatem significat, ut dicitur in prædicamentis. Et licet genus non sit de intellectu differentie tali modo, scilicet ut formaliter significat per illam : est tamen de intellectu ejus alio modo, ut subjectum scilicet de intellectu passionis. Dupliciter enim, ut supra dictum est, aliquid cadit in ratione alieius. Uno modo ut pars quidditatis. Alio modo ut subjectum ejus, quomodo subjectum intrat diffinitionem passionis et ut habes VII Metaph., text. comm. XIX. Et ideo dicit Aristot. III Metaph., text. comm. x, et IV Topic., cap. III, quod genus per se non prædicatur de differentia, nisi forte subjectum prædicatur de passione. Ratio primi dicit est, quia genus in nullo modo dicendi per se prædicatur de differentia : non quidem in quarto, quia differentia non explicat causam generis ; nec in secundo, quia differentia non ponitur in generis diffinitione, nec etiam in primo proprie, quia prædicata primi modi in recto, quæ proprie prædicantur, sunt ea quæ intrinsece in ratione cadunt, et non ea quæ per additamentum in ea sunt. Homo enim non prædicatur proprie de risibili in primo modo, quod patet ex eo quod ista, Risibile est homo, est per accidens, ut dicitur I Post., cap. XVII. Ratio secundi est, quia si genus est de intellectu differentie, sicut subjectum est de intellectu passionis : consequens est quod genus prædicatur de differentia, sicut subjectum de passione. Quod dicit, Forte, non dubitantis est, sed non determinantis ; consuevit enim apud ipsam res non decisa sub dubia verborum forma poni.

Adverte quod licet in intellectu differentie cadat genus determinate : nomen tamen differentie genus illud non explicat determinate ; rationale enim non explicat animal cum rationalitate, sed habens rationalitatem, sicut et in diffinitione risibilis cadit homo : et tamen hoc nomen risibile non explicat hominem determinate, significat enim habens risibilitatem.

Et ex hoc patet ratio, quare genus et species et differentia se habeant proportionaliter ad materiam, formam et compositum in natura, quamvis non sint idem cum illis ; quia neque genus est materia, sed sumitur a materia ut significans totum : nec differentia est forma, sed sumitur a forma ut significans totum ; unde dicimus hominem esse animal rationale, et non ex animali et rationali, sicut dicimus eum esse ex corpore et anima. Ex corpore enim et anima dicitur esse homo, sicut ex duabus rebus quedam tertia res constituta, quæ neutra illarum est : homo enim nec est anima neque corpus : sed si homo aliquo modo ex animali et rationali dicatur esse, non erit sicut res tertia ex duabus rebus, sed sicut intellectus tertius ex duobus intellectibus. Intellectus enim animalis est sine determinatione formæ specialis naturam exprimens rei, ex eo quod est materiale respectu ultimæ perfectionis. Intellectus autem hujus differentie rationalis consistit in determinatione formæ specialis, ex quibus duobus intellectibus constituitur intellectus speciei vel diffinitionis : et ideo sicut res constituta ex aliquibus, non recipit prædicationem earum rerum, ex quibus constituitur : ita nec intellectus recipit prædicationem eorum intellectuum, ex quibus constituitur : non enim dicimus, quod diffinitio sit genus vel differentia.

Corollarie concludit secundam differentiam inter genus et speciem et differentiam : quia scilicet genus proportionaliter se habet ad materiam, quæ est pars compositi, et non significat ipsam ; differentia proportionaliter se habet ad formam, et non significat ipsam ; species proportionaliter se habet ad compositum ex materia et forma, et ut sic non significat compositum ex materia et forma, sed aliquid completens genus et differentiam. In assignatione hujus differentie secundum quodlibet membrum ponuntur due particule, puta in primo membro prima particula est, quod genus proportionaliter se habet ad materiam, secunda vero est, quod genus non significat materiam : similiter in secundo et tertio membris. Prima particula omnium sequitur ex supradictis. Si enim perfectio generica, quæ formaliter importatur per genus, est materialis respectu perfectionis differentialis, quæ formaliter importatur per differentiam, oportet quod sicut se habet materia respectu formæ in composito naturali, puta Sorte : ita genus respectu differentie in composito rationali, scilicet specie : ut sicut materia est potentialis, et perficitur ac specificatur per formam, sic generica perfectio est potentialis perfectibilis et specificabilis per differentiam. Secunda vero particula, licet sequatur etiam ex supradictis quia ex eo quod genus differentia et species significant totum, sequitur immediate quod genus non significat materiam quia materia non est totum et quod differentia non significat formam, quia forma non est totum, et quod species ut sic non dicat compositum ex materia et forma, eo quod partes ejus ut sic non sunt materia et forma, sed genus et differentia. Attamen S. Thomas probat eam tali ratione : materia et forma sunt partes sui totius, sicut due res tertia rei : genus et differentia non sunt partes sui totius, scilicet speciei, ut due res tertia rei ; ergo genus et differentia non sunt materia et forma speciei. Major patet ex se ; homo enim est alia res a materia sua, et alia a sua forma. Nec est eorundem utrum sit res distincta realiter vel secundum rationem ab illis duabus conjunctis : sufficit enim nobis, quod sit tertia res realiter distincta a qualibet parte. Minor vero declaratur hoc modo : si genus et differentia componerent speciem, ut due res tertiam, tunc homo esset compositus ex animali et rationali : hoc est falsum ; ergo a destructione consequens genus et differentia non componunt speciem, ut due res tertiam : quod erat probandum. Consequentia patet ex se : falsitas vero consequens probatur ex eo quod nulla pars prædicatur de suo toto, ut supra dictum est. Habetur IV Topicorum, cap. XI. Animal autem prædicatur de homine : similiter rationale ; dicimus enim quod homo est animal, et quod est rationale.

Advertendum est quod S. Thomas in textu explanando majorem, exemplariter dicit, quod homo dicitur esse ex anima et corpore, sicut ex duabus rebus tertia res. Circa quæ verba dubitatur quomodo hoc sit verum, ejus doctrinam sustinendo ponentis unicam formam substantialem in composito : quæcumque enim sunt idem realiter, non constituentur aliquid, ut due res tertiam : perfectio autem corporis et anima sunt idem realiter, si unica forma ponitur, quomodo ergo constituentur hominem, ut due res tertiam ?

Hanc dubitationem propter ejus magnam difficultatem diversimode solvunt. Quidam dicunt, corpus et anima non sunt secundum rem partes hominis, sed secundum rationem tantum : licet enim anima sit vere pars, corpus autem secundum rem est totum ; dicit enim compositum

ex materia et forma, quæ est anima: ideo non est compositus ex anima et corpore tamquam ex duabus partibus secundum rem, sed secundum rationem, sed bene est compositus ex eis tamquam ex duabus rebus: eo modo, quo totum et pars sunt duæ res, ut tertia res secundum rationem distinctam ab altera, scilicet corpore; et secundum rem ab altera, scilicet anima.

Alii dicunt, et in idem redit, quod homo est compositus ex anima et corpore, sicut ex causa formalis, et eo cuius est causa formalis. Diversæ enim res sunt secundum Avicennam. causa formalis, et illi cuius est causa formalis: sicut lucidum est compositum ex luce et lucido: unde et isti dicunt, quod est compositus homo ex duabus rebus, scilicet ex toto et ex parte, sed non ex duabus partibus secundum rem.

Alii dicunt, quod locutio ista est intelligenda per synecdochen. Homo est compositus ex anima et corpore ratione suæ partis, scilicet materiae. Mihi autem pro nunc videtur dicendum, quod homo est compositus ex anima et corpore, non solum tamquam ex duabus rebus tertia res: sed tamquam ex duabus partibus secundum rem totum, accipiendo corpus, non ut est genus, sed ut significat partem, et accipiendo animam præcise, ut diffinitur II de Anima. Significat autem corpus sic acceptum compositum ex materia et perfectione corporea præcise. Anima vero perfectionem vitalem præcise. Probat intentum sic: corpus differt realiter ab anima, et non ut totum a parte, ergo ut pars a parte. Probat media: quia totum confuse saltem includit partem, corpus autem sic acceptum excludit animam: unde in diffinitione animæ ponitur corpus, ut subjectum deferens animam, ut ibi dicit S. Thomas. Prima propositio est ex se evidens, et ab omnibus concessa. Consequentia autem ex sufficienti divisione robur trahit: oportet enim vel ut totum a parte, vel ut pars a parte, corpus realiter differre ab anima, si realiter differunt: homo igitur est compositus ex corpore et anima tamquam ex partibus realiter distinctis: quod erat intentum. Et advertit quod corpus, pars cum importat corporeitatem præcise extra ipsum, est identitas perfectionis corporeæ ad animam seu perfectionem vitalem: accidit enim, accidente extraneo corpori præcise, quod ejus perfectio sit idem cum anima: per se enim præscindit animam, et ideo per se loquendo subtiliter dictum est hominem componi realiter ex anima et corpore. Unde secundum hoc ad objectionem deductam, dicitur quod licet perfectio corporea seu forma corporealis sit eadem realiter anima: corpus tamen aliud est realiter ab anima, et ipsa perfectio corporea, per se loquendo, non est eadem realiter ipsi animæ, immo ipsam excludit præcise accepta: et ideo corpus et anima cum præcise, per se loquendo, realiter partes ipsius hominis conceditur esse. Hinc responsiones favent verba text. ubi assignatur pro causa dicti præcisio animæ a significato corporis. Quod diximus de corpore et anima respectu animalis, dicere poteris de animali et anima intellectiva respectu hominis, de corpore et forma lapidis respectu lapidis, et sic de aliis, semper accipiendo terminos præcise pro partibus, licet non consuetum sit dici inanimata componi ex corpore et forma specifica, sicut animata ex anima et corpore, propter latentem differentiam inter corporeitatem et formam inanimatorum: et etiam quia forma animatorum elevat compositum ad hoc, quod moveat seipsum, oportuit in ipso distinguere partem moventem, et partem motam, animam scilicet et corpus: quod non invenitur in formis inanimatorum.

Adverte secundo, quod S. Thomas ad clarificandam minorem dicit, quod homo non est ex animali et rationali, sicut ex duabus rebus tertia res, sed sicut intellectus tertius ex duabus intellectibus. Ubi sciendum, quod genus, species et differentia possunt accipi tripliciter. Primo modo pro re significata per nomen genericum, specificum, et differentiale primæ intentionis. Secundo modo pro conceptu formali talium nominum. Tertio modo pro re significata per eorum nomina secundæ intentionis: verbi gratia, animal, homo, et rationale possunt accipi primo pro re significata per hæc nomina; secundo pro conceptibus eorum formalibus; tertio pro relationibus generis, speciei et differentie. Primo modo nec species nec diffinitio est composita ex genere et differentia, eo quod res significata per speciem et diffinitionem est eadem realiter cum re significata per genus et differentiam: idem enim non componitur ex seipso. Tertio modo similiter nec species nec diffinitio est composita ex genere et differentia, eo quod relatio speciei relative apponitur relationi generis, ut dicitur a Porphyrio. Nullum autem correlativum componitur ex suo correlativo, et universaliter non apparet quomodo relatio possit componi ex aliis relationibus: unde sicut relatio, quam significat hoc nomen propositio, non est composita ex relatione predicati ad subjectum, sed est relatio attributa ab intellectu ipsi complexo ex predicato et subiecto: ita relatio diffinitionis est relatio attributa tali formato conceptui in prima operatione intellectus explicanti distincte genus et differentiam.

Secundo vero modo tam species, quam diffinitio est composita ex genere et differentia: conceptus enim formalis speciei integratur ex conceptu formali generis et conceptu formali differentie tamquam ex duabus partibus: verbi gratia, conceptus formalis hominis est aggregatum quid ex conceptu formali animalis, et conceptu formali rationalis. Quod ex supradictis sic deducitur: ex eo enim quod ostendimus, genus et differentiam et speciem differre in significato formali, liquet quod conceptus formalis animalis est conceptus perfectionis sensitivæ, et conceptus formalis rationalis est conceptus perfectionis intellectivæ, et conceptus formalis hominis est conceptus utramque perfectionem complectens ex illis tamquam conceptus tertius illorum adunatione formatus: et sic homo est ex animali et rationali tamquam intellectus tertius ex duobus intellectibus: id est tamquam conceptus tertius ex duobus conceptibus et non tamquam res ex duabus rebus; et quia nulla pars ut pars prædicatur in recto de suo toto: ideo intellectus sive conceptus formalis animalis non prædicatur in recto de intellectu, id est conceptu formali hominis. Ista enim est falsa, Conceptus formalis hominis est conceptus formalis animalis: quia conceptus formalis hominis aggregat totum ex intellectiva et sensitiva perfectionis conjunctum: conceptus vero formalis animalis non nisi partem, scilicet perfectionem sensitivam dicit: licet, ut supra dictum est, secundum conceptum seu significatum materiale et formale simul totum dicat; homo ergo secundum suum formalem intellectum seu conceptum acceptus non est animal, neque rationale, sed ex animali et rationali. Et sicut dictum est de homine, qui est species, ita dicitur de animali quod est diffinitio: animal enim rationale secundum suum formatum conceptum, non est animal neque rationale, sed ex animali et rationali: differt namque formalis conceptus animalis rationalis a conceptu formali animalis, et a conceptu rationali sicut totum a partibus.

Hoc autem quod dictum est, conceptum formalem, scilicet speciei et definitionis componi ex conceptibus formalibus generis et differentie, potest dupliciter intelligi: uno modo de conceptu mentali; alio modo de conceptu objectali formaliter sumpto. Si primo modo, adhuc dupliciter intelligi potest. Uno modo de conceptu mentali secundum esse subjectivum, seu secundum id quod est. Alio modo de illo secundum esse representativum: conceptus mentalis speciei, secundum id quod est, non est compositus ex conceptibus mentalibus generis et differentie, secundum id quod sunt, eo quod omnes sunt qualitates simplices, nec possunt distingui in plures partes componentes. Non enim est imaginandum, cum intellectus format conceptum definitionis hominis, scilicet animal rationale, quod forment plures conceptus, sed unum tantum, qui est quedam simplex qualitas, distincte singulas representantem, sicut et in re extra, res diffinita est habens rem generis et differentie absque compositione reali: unde hoc primo modo dictum nostrum non est verum. Conceptus vero mentalis speciei secundum esse representativum formaliter acceptus est compositus ex conceptibus mentalibus generis et differentie secundum esse representativum formaliter acceptis, sicut idolum representans totam ex idolis partium: homo enim in mente representat aggregatum ex perfectione sensitiva et intellectiva: animal vero in mente formaliter non representat nisi perfectionem sensitivam, rationale autem non nisi intellectivam: unde hoc modo verificatur dictum nostrum. Conceptus autem objectalis speciei formaliter sumptus, cum nihil aliud sit, quam significatum formale, conceptus mentalis ejusdem est compositus secundum rationem ex conceptibus objectalibus generis et differentie formaliter acceptis: sicut significatum formale speciei est compositum secundum rationem ex significatis formalibus generis et differentie, ut supra ostensum est: unde homo acceptus ut est objectus conceptui mentali, suo scilicet specifico, non est animal neque rationale, sed ex animali et rationali, accipiendo etiam animal et rationale secundum quod objecta sunt suis mentalibus conceptibus: ut ostendit falsitas hujus propositionis, Objectum formale specificum est objectum formale genericum, sive differentiale: dicit enim homo ut sic aggregatum ex perfectione sensitiva et intellectiva, animal vero ut sic non nisi unam partem aggregati, scilicet sensitivam naturam: rationale, ut sic non nisi alteram partem, scilicet intellectivam perfectionem; manifestum est autem quod aggregatum non est aliquid aggregatorum: et hoc modo dictum nostrum veritatem continet, et est maxime ad propositum. Et sic animal quoad rem importatam, nec est pars, nec totum respectu hominis et animalis rationalis, quoad significatum vero materiale et formale simul est totum: quoad significatum formale autem est pars tam objectaliter, quam representative sumptum. Unde cum dico, Homo est animal rationale, si res ipsa solum attendatur, nec pars, nec totus ratio salvabitur: si vero res ipsa sic significata, scilicet implicite includens inferiora inspicitur, totius rationem habet: si autem res ipsa sic significata attendatur secundum id, quod explicitè includit ut sic, partis rationem sortitur, propter quod animal ponitur in diffinitione hominis, ut res: res enim de re prædicatur ut totum, quia prædicatur in recto, et ut pars, quia additur differentia, quæ aliud explicat, etc.

Quod supra diximus de specie, dicto de diffinitione, servato semper eo quod dicitur I Phys., text. comm. v, scilicet quod diffinitio dividit in

singula, non autem species. Nec fallaris, nostra dicta in hac materia legens, et supra: quoniam supra per conceptum formalem conceptum mentalem distinctum contra objectalem acceptimus: in hac materia vero per intellectum seu conceptum formalem tam mentalem conceptum, quam objectalem formaliter sumptum intelligi volumus.

Quamvis autem genus significet totam essentiam speciei, non tamen oportet ut diversarum specierum, quarum est idem genus, sit una essentia, quia unitas generis ex ipsa indeterminatione vel indifferentia procedit: non autem ita quod id quod significatur per genus, sit una natura numero in diversis speciebus, cui superveniat res alia, quæ sit differentia determinans ipsum, sicut forma determinat materiam, quæ est una numero: sed quia genus significat quandam formam, tamen non determinate hanc vel illam, quam determinate differentia exprimit, quæ non est alia quam illa, quæ indeterminate significabatur per genus: et ideo dicit Commentator in II Metaph., quod materia prima dicitur una per remotionem omnium formarum, sed genus dicitur unum per communitatem formæ signatæ: unde patet, quod per additionem differentie remota illa indeterminatione, quæ erat causa unitatis generis, remanent species diversæ per essentiam.

In quarta parte capituli hujus intendit excludere talem objectionem. Quæcumque habent unum genus, habent unam essentiam: diversæ species habent unum genus; ergo diversæ species habent unam essentiam. Quod est falsum, quia species differunt essentialiter. Major probatur ex eo quod genus secundum prædicta dicit totam essentiam specierum. Et licet ista objectio facilius solvi posset, dicendo quod species habent eandem essentiam genericæ, non tamen specificæ: quia tamen argumentum altiore difficultatem petit, ex altiori principio respondere oportuit. Inducta est enim hæc objectio ad concludendum diversas species habere eandem essentiam simpliciter, et non genericæ: ut patet ex medio assumpto sic arguendo, Ea, quorum tota essentia est una, habent eandem essentiam simpliciter: diversarum specierum ejusdem generis tota essentia est una; ergo diversæ species ejusdem generis habent eandem essentiam simpliciter. Minor patet ex eo quod genus dicit totam essentiam specierum, et est unum in eis.

Ad hujus objectionis exclusionem declarat quomodo genus est unum, et innuit talem distinctionem. Aliquid significat unum dupliciter: uno modo per positionem unius determinatæ rei significatæ; alio modo per indifferentiam seu indeterminationem plurium rerum importatarum. Primo modo genus non significat unum, sed secundum modo. Illud enim primo modo significat unum, cuius significatum secundum se acceptum est una aliqua natura et determinata, sicut homo significat humanitatem, quæ est certa et determinata natura, scilicet humana. Illud autem, quod significat unum secundum modo habet significatum, non aliquam determinatam naturam, sed plures naturas indeterminate: sicut animal significans perfectionem seu naturam sensitivam non significat aliquam certam et determinatam naturam sive formam: nulla enim est in universo forma, quæ sit anima sensitiva, sed quælibet est vel bovina, vel

leonina, vel humana, etc. Unde dicitur VII Phys., text. comm. xxxi, quod iuxta genus latent multa, et X Metaph., text. comm. xxiv, quod natura generis diversa est in speciebus, et I de Anima, text. comm., quod ratio animalis secundum unumquodque animal est altera. Est igitur genus unum secundo modo, unde ad formam rationis dicitur secundum præmissam distinctionem, quod quorum est tota essentia una primo modo, eorum est essentia eadem simpliciter, non autem quorum tota essentia est una secundo modo, sicut est in proposito; species enim totam essentiam non adnata genus nisi unitate indeterminationis.

Advertendum autem est, in littera appositam fuisse differentiam inter unitatem generis et unitatem materiæ primæ ad majorem predictorum evidentiam: quam etiam differentiam ponit Comment. XII Metaph., comm. xiv. Ubi nota quod de materia contingit loqui dupliciter. Uno modo, ut est quoddam totum universale respiciens hanc materiam vel illam, ut partes subjectivas: et sic de ipsa modo non est sermo: idem enim est iudicium de ejus unitate et de unitate cujusque universalis. Alio modo contingit loqui de ea solitarie sumpta secundum se, non prout est universalis aut particularis, neque prout est in hac specie vel illa: et sic de ea loquitur Comment. ibi, et S. Thomas hic. Differunt ergo unitas materiæ sic accepta et unitas generis in hoc quod unitas materiæ est unitas numeralis fundata supra determinatam rem, unitas vero generica est unitas non numeralis, sed indeterminationis, fundata supra diversas naturas indeterminatas. Cum autem audis unitatem materiæ primæ esse unitatem numeralem, intellige negative non positive. Dicitur enim aliquod unum numero dupliciter: positive scilicet et negative. Illud est unum numero positive, quod est unum per positionem proprietatis seu differentie numeralis: sicut ortus; et hoc modo materia prima secundum se non est una numero, quia nullam proprietatem individualem includit. Illud est unum numero negative, quod universale cum non sit, est non plura numero: hoc autem est illud, quod nullum distinctivum includit in se, unde pluralitatem et numerum habere queat: et hoc modo materia prima secundum se est una numero, et talis unitas numeralis fundatur supra determinatam entitatem, illam, scilicet, quæ est materia, quæ nullum distinctivum includit cum ab omni denudata sit actu, cujus est distinguere: et ideo dicit Com. quod materia est una per remotionem omnium formarum: quia unitatem suam negative habet, ex hoc quod non habet distinctivas formas. Genus autem non esse unum numero neque positive, neque negative proprie loquendo, ex eo patet quia unitas numeralis, tam positive quam negative, fundatur supra certam et determinatam rem, quod in genere non invenitur: dicit enim genus plures naturas et res, ex quibus numerari potest. Sed et quod genus sit unum unitate indeterminationis, ex eo patet quod natura plures per genus importate non adnanciantur in ejus significatione, nisi propter hoc quod indeterminate significat eas: animal enim ideo adnanciat in se equum, bovem, leonem, etc., quia non determinate explicat quis eorum sit habens perfectionem sensitivam, et ideo dicit Com. ibi, quod genus est unum per communitatem formæ significatæ, id est ex eo quod communiter et non determinate formas significat. Unde et patet quomodo proposito S. Thomæ deservit inducta auctoritas. Si enim materia et genus in hoc differunt quod materiæ unitas est per negationem formarum supra entitate determinatam fundata, et genus non est unum nisi propter hoc quod significat communiter plura, consequens est quod

genus non sit unum nisi ex indeterminatione: quod erat propositum.

Et quia, ut dictum est, natura speciei est indeterminata respectu individui, sicut natura generis respectu speciei, inde est quod sicut id, quod est genus, prout prædicatur de specie implicite in sua significatione, quamvis indistincte: totum id quod determinate est in specie, ita id quod est species secundum quod prædicatur de individuo, oportet quod significet totum, quod essentialiter est in individuo licet indistincte. Et hoc modo essentia speciei significatur nomine hominis: unde homo de Sorte prædicatur. Si autem significatur natura speciei cum præcisione materiæ signatæ, quæ est principium individuationis, sic se habebit per modum partis, et hoc modo significat nomen humanitatis: humanitas enim significat id unde homo est homo. Materia autem signata non est illud unde homo est homo, et ita nullo modo continetur inter illa ex quibus homo habet quod sit homo. Cum igitur humanitas in suo intellectu includat tantum ea ex quibus homo habet quod sit homo, patet quod a significatione ejus excluditur vel prædicatur materia determinata vel signata. Et quia pars non prædicatur de toto, inde est quod humanitas nec de homine nec de Sorte prædicatur, unde dicit Avic. quod quidditas compositi non est ipsum compositum cujus est quidditas, quamvis etiam ipsa quidditas sit composita, sicut humanitas, licet sit composita, non tamen est homo, immo oportet quod sit recepta in aliquo, quod est materia signata. Sed quia, ut dictum est, designatio speciei respectu generis est per formas, designatio autem individui respectu speciei est per materiam: ideo oportet ut nomen significans id unde natura generis sumitur, cum præcisione formæ determinatæ perficiens speciem significet partem materialem totius; sicut corpus est pars materialis hominis: nomen autem significans id unde sumitur natura speciei cum præcisione materiæ designatæ, significat partem formalem, et ideo humanitas significatur ut forma quædam. Et dicitur quod est forma totius, non quidem quasi superaddita partibus essentialibus materiæ et formæ, sicut forma domus superadditur partibus integralibus ejus, sed magis est forma, quæ est totum, scilicet formam complectens et materiam; cum præcisione tamen eorum, per quæ materia est nata designari. Sic ergo patet quod essentia hominis significatur hoc nomine, homo, et hoc nomine, humanitas, sed diversimode, ut dictum est: quia nomen homo significat eam ut totum, in quantum scilicet non præterdit designationem materiæ, sed implicite continet eam, et indistincte, sicut dictum est, quod genus continet differentiam et ideo prædicatur hoc nomen, homo, de individuis: sed hoc nomen humanitas significat eam ut partem, nec continet in sua significatione nisi id

quod est hominis in quantum homo, et præscindit omnem designationem materiæ, unde de individuis hominis non prædicatur. Et propter hoc quandoque hoc nomen essentia invenitur prædicatum de re : dicitur enim Sortis essentia quædam ; et quandoque negatur, sicut dicimus quod essentia Sortis non est Sortes.

In hac quinta et ultima parte hujus capituli comparat essentiam specificam ad individuum secundum totalitatem, partialitatem, prædicabilitatem et formalitatem.

Ad quorum evidentiam advertendum est, quod, sicut supra de essentia generica dictum est, quod potest significari per modum totius et per modum partis; ita nunc dicitur, quod essentia specifica potest accipi ut significata nomine primæ intentionis per modum totius, et per modum partis. Per modum quidem totius sicut essentia humana significatur per ly homo ; per modum vero partis, sicut illam significatur per ly humanitas. Differt autem ipsa a se altero modo significata in hoc quod significata per modum totius implicite includit individua : significata vero per modum partis excludit illa a sui significatione. Quod sic declaratur exemplariter : homo cum significet habens naturam humanam, implicite includit sub ly habens omnia individua humana ; habens enim naturam humanam est quocumque individuum humanum ; humanitas autem cum significet quoque est homo, omne aliud ab humanitate excludit a ly quo ; nullum enim aliud ab humanitate est, quo homo est homo : et ideo cum principia individuantia sint aliud ab humanitate, ut supra dictum est, sequitur quod humanitas excludit principia individuantia a sui significatione, et consequenter individua quæ sine individuatione intelligibilia non sunt, sicut neque species absque differentia intelligi potest ; et cum pars ut pars non prædicatur de suo toto, omne autem prædicatum in recto habet rationem totius, ideo essentia primo modo, id est per modum totius significata, de individuis in recto prædicatur : significata vero per modum partis, nequaquam ; et propter hoc illa est vera, Sortes est homo, illa autem falsa, proprie loquendo, Sortes est humanitas (ut Avic. testatur) ; et sic jam patet proportio essentia specificæ ad individuum secundum tria, scilicet totalitatem, partialitatem, et prædicabilitatem.

Quoad formalitatem vero declaratur apposita differentia inter essentiam genericam per modum partis significatam respectu speciei, et essentiam specificam per modum partis significatam respectu individui. Differunt enim in hoc quod illa est pars materialis speciei, ista vero est pars formalis individui. Et ratio est quia illa, scilicet essentia generica, comparatur ad alteram partem speciei, ut materia ad formam et perfectibile ad suam perfectionem, cum designatio seu determinatio generis ad speciem fiat per differentiam, quæ sumitur a specifica forma, quæ perficit et complet perfectionem genericam : ista vero, scilicet specifica essentia, comparatur ad alteram partem individui, ut forma ad materiam et perfectio ad perfectibile, cum designatio seu determinatio speciei ad individua fiat per materiam signatam, quam imperfectiorem esse specificam forma, quæ essentia specifica sumitur, constat : ideo animalitas est pars materialis hominis, humanitas vero est pars formalis Sortis : et dicitur quod est forma totius non quasi superaddita, etc.

Ad evidentiam horum verborum est notandum, quod forma totius et

forma partis, ut in secundo capite visum fuit, differunt realiter, non sicut una forma differt ab alia forma, puta albedo a dulcedine, sed sicut totum et pars ; et ideo dicitur hic, quod forma totius non est quasi superaddita partibus, id est, non est forma addita materiæ et formæ, sicut forma domus est forma addita lignis, lapidibus, cæmento, et cæteris partibus ; sed magis est forma quæ est totum, id est ipsum compositum resultat ex partibus. Quod cum per modum partis formalis significatur, forma totius appellatur, eo quod totus est complete certificativum et distinctivum et determinativum : hæ enim sunt conditiones formæ. Et residuum sermonis epilogus per se patens est.

CAPUT IV

Quanam ratione essentia conveniat esse genus, speciem, vel differentiam, ostendit.

Viso quid significetur nomine essentia in substantiis compositis, videndum est quomodo se habeat ad rationem generis, speciei, et differentia. Quia autem cui convenit ratio generis, speciei vel differentia, prædicatur de hoc singulari signato, impossibile est quod ratio generis vel speciei vel differentia conveniat essentia, secundum quod per modum partis significatur, ut nomine humanitatis vel animalitatis : et ideo dicit Avic. quod rationalitas non est differentia, sed differentia principium, et eadem ratione humanitas non est species, nec animalitas genus.

In hoc quarto capite intendens determinare quomodo essentia substantiarum compositarum se habeat ad intentiones logicas, scilicet genus, speciem, differentiam, quatuor facit : primo sex conclusionibus determinat intentum ; secundo excludit quendam Averrois errorem ; tertio excludit quendam aliam objectionem ; quarto respondet cuidam tacite objectioni.

Pro intellectu primæ partis notande sunt duæ distinctiones. Prima est ista : Natura seu essentia substantia composita potest tripliciter accipi : primo, ut significata per modum partis ; secundo, ut per se existens separata a singularibus ; tertio, ut significata per modum totius. Secunda distinctio, quæ est subdivisio tertii membri, est ista : Natura substantia composita significata per modum totius potest accipi tripliciter : primo, secundum se ; secundo, secundum esse quod habet in singularibus ; tertio, secundum esse quod habet in intellectu.

His prælibatis, scias quod secundum singula membra harum divisionum ponit singulas conclusiones : secundum prima quidem duo membra utriusque divisionis ponit quatuor negativas ; secundum vero ultima utriusque ponit duas affirmativas, ita quod secundum quamlibet divisionem primo ponit duas negativas, deinde tertiam affirmativam : et sic fiunt sex conclusiones.

Prima ergo conclusio negativa est : Essentia substantia composita significata per modum partis, sicut animalitas, humanitas, rationalitas, non est genus neque species neque differentia. Quam probat sic : tam genus, quam species, quam differentia prædicatur in recto de hoc parti-